



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum III. Quod in dubijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

die tam diebus Dominicis, quàm privatis. Circa quem textum, quia clarus est, nihil ulterius videtur annotandum; neque enim tanta solemnitas requiritur ad rem inanimatam consecrandam, quàm ad consecrandas & ordinandas res animatas, quæ sicuti dignitate eminent, ita majorem solemnitatem requirunt.

CAPITULUM III.

Quod in dubijs.

Rescribit Innocentius III, Episcopo Nidrosiensi, si motum aut enormiter fractum in Ecclesia Altare fuerit (juxta ea, quæ in cap. i. dicta sunt) quòd nova consecratione indigeat: non negare tamen se, quin oleum non consecratum sacro oleo misceri possit absque eo scilicet, ut nova benedictione indigeat.

SUMMARIUM.

1. Per admixtionem olei v. g. non benedicti, in minore tamen quantitate, cum oleo benedicto, totum est benedictum.
2. In quibus casibus locum habeat commune axioma, quòd minus dignum trahat ad se magis dignum, vel sanctum, id quod de se sanctum non est &c.

Notandum primò. Priorem partem hujus rescripti de moto aut enormiter fracto Altari, & nova consecratione indigente, ex cap. i. jam patere.

Notandum secundò. Quòd parti benedictæ olei v. g. alia non benedicta olei pars, in minore tamen quantitate, admixta, per solam hanc admixtionem benedicatur, docent communiter omnes, ob receptam *Glossam* in cap. i. h. v. *Altare*, quòd sacrum scilicet trahat ad se non sacrum (tanquam dignius, minus dignum) nisi in quantitate id, quod minus dignum sive non benedi-

ctum admisceatur, excedat dignius sive benedictum; ita tamen, ut juxta *Panormitanum* h. r. & juxta *Hosiensens* in *Glossa marginali* h. r. hoc effatum tantum locum habeat in liquoribus, qui commixtione confunduntur, & juxta alios in illis etiam artefactis, quorum partes seorsim acceptæ, totius appellationem non continent; non autem in illis artefactis, quorum partes eandem cum toto, cujus partes sunt, seorsim etiam acceptæ appellationem retinent. Sic si casu aræ v. g. aut Ecclesiæ minor pars aliqua non consecrata, consecratæ accedat, nulla nova illius consecratio est necessaria; dubium autem est, utrum non indigeat Ara nova consecratione, si lapis non consecratus, lapidi consecrato adjungatur, cum in hoc casu axioma illud juxta multos auctores & propter multas instantias probabiliter locum non habeat. Et hinc rectè moment auctores, additionem lapidis non consecrati, si faciendæ hæc sit ad lapidem consecratum, ita fieri debere, ut integer maneat lapis consecratus, in quo calix cum patena consistere possit; sicuti enim per solam adjunctionem lapidis non sacri, non amittit suam consecrationem lapis consecratus, cui alter lapis non consecratus adjungitur, si in illo illæso calix cum patena subsistere adhuc possit (saltem secundum majorem partem) ita nec per solam hanc adjunctionem fit sacer, cum in talibus sacrum & non sacrum conjungi & discerni possint.

CAPITULUM IV.

Proposuisti.

PARAPHRASIS.

Peregrini ex diversis mundi partibus Compostellam, ad Ecclesiam S. Jacobi confluentes, graves adeò rixas & contentiones nonnunquam inter se incipiunt, dum quilibet custodiam Altaris sibi arrogare contendit, ut homicidia etiam intra Ecclesiam committantur, & vulnera inferantur: sollicitus proinde Compostellanus Archiepiscopus ex Innocentio III.

Tit 2

in-